Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

PROGNOSTICA=||TIO IOANNIS LIECHTENBERGERS, QVAM OLIM SCRI-||psit super magna illa Saturni ac Iouis coniunctione, quae fuit Anno M.CCCC.||LXXXIIII. praeterea ad eclipsim Solis anni sequẽtis uidelicet ...

Lichtenberger, Johannes

Köln, 1526

Capvt primvm

urn:nbn:de:bsz:31-160364

Visual Library

SVbſequēter cōfeſtim Deus ſuſcitabit alios tres uiros ſanctiſſimos, unum poſt aliũ in ꝟtutibus & miraculis conſimiles, qui facta & dicta anteceſſoris confirmant. Sub quorum regimine ſtatus eccleſiæ recreſcet. & hij appellabunt paſtores angelici.

SEQVITVR TERTIA PARS HVIVS OPVSCVLI.

Tu laice lobora, ut ſuſtentes eoſdem,
Arator in campo, & laborator in uinea.

REſtat nunc tertio, ut de uulgi ſtatu aliqua dicantur, heu multæ nanqꝫ inter priuatos homines rixæ & cōtentiones erunt. Interfectiones, accuſationes, uincula, carceres, damnationes, odia, ac ſeditionum turbulenta certamina, ueterumqꝫ cauſarum ſopitas excitabunt ſimultates. uaria quoqꝫ funeſtæ calamitatis diſcrimina patientur, quæ tamen in diuerſis uarietatem recipient iuxta climatum diſferentias.

CAPVT PRIMVM.

Vngari. Bohemi. Baiorici.

ISti principatus erũt inquieti & turbulẽti, inimiciſſimi pacis & quietis, clamoroſis & funeroſis contentionibus plebis animos inflammantes. Inteſtina ac domeſtica bella, furioſa mẽtis cupiditate ſemper deſiderabunt. Plures tamen illorum mala morte pereuntes, uitæ munus implebunt, ac fulminis ictu repentino mortis opprimenť occaſu. aut equi calcitrãtis ĩpetu, aut equo deiecti miſera corporis iactura morienť. Aut ſcopulis periclitati, aut mari fluminibus ue ſubmerſi peribũt, aut alterius nouellæ & inauditæ repẽtinæ mor

tis

tis patientur exitium, nonnullis orbitatem hæc monſtruoſa eclypſis atq; coniunctio indicat.

Alſati. Sueui. Gallici. Vueſtraui. Gaudeñ.

CAPVT SECVNDVM.

PLures habebunt aduerſarios, quos tamen om̄s uidebũt uario diſcrimine oppreſſos, & circa uenereos cultus incontinentes erunt. rixabuntur mulieres cum uiris ſuis & econuerſo. Difficiles habebunt nuptias, inhoneſtas, indecentes. aut enim dabit degenerem uiduã, aut adulterã cognitã aut ſterilem, aut graui fœditate deformẽ, aut publicæ meretrices uidebũtur in illis partibus, aut apoſtatam ſacerdotem uel religioſum accipiẽt mulieres ibidem, aut uiraginẽ thori copulatione aſſociabit, & inter coniugatos malignæ turbationes uidebuntur.

CAPVT TERTIVM.

Vrbes ſub Romano Imperio.

TRemuli erunt corde, trepidantibuſq; ueſtigijs imminentiũ culminum metuẽt ruinas, Martis tamen ferocitatẽ perſentient maxime qui duodecimũ gradum ſignatorẽ habuerint. uiui plurimi ex eis exurentur, uel aquis mergent̃, aut patibulis ſuſpendent̃. A ſeruis & ancillulis eorũ mala percipiẽt inaudita, ſubſtantiã amittentes.

CAPVT QVARTVM.